

Coleoptera nova Imperii Rossici.

Ab A. Starck, in Utsch-Dere, descripta.

II. *)

1. *Pterostichus (Lyrothorax) Reitteri* n. sp. mihi.

Oblongus, planus, supra obscure castaneus, infra parum clarior, nitidus; capite valde magno, eadem cum thorace longitudine, polito, latissima quam thoracis pars parum angustiore; ipso thorace cordiformi, ad basim valde angustato, magis lato quam longo, margine apicali valde cavato, in margine postico vix exigua cavea impressa, angulis anticis acutis, posticis directis, thoracis medio canaliculo neque ad basim, neque ad apicem perveniente; parum obovatis elytris, quorum latissima pars ad apicem propior est quam ad basim, parum thoracis latitudinem maximam superantibus; elytris acute canaliculatis, spatiis canalicularum vix ut conspici possit, punctatis.

Long. 9 mm, lat. 3 mm.

Pterosticho stomoidi Chd. similis capite autem valde magno differt; gaudet enim capite etiam majore quam *Pterostichus validiceps* Rtrr. Quin etiam linea medialis thoracis apud *stomoidem* pariter ac apud *validicipitem* ab ipso thoracis basi fere usque ad ipsum apicularem marginem prolongata, cum apud *Reitteri* linea haec longe a marginibus ambobus abest, distat. Corpus totum castaneo colore obsitum, nitidum, pars corporis inferior superiore clarior; pedibus, tibiarum apicibus exceptis, valde claris. Secundum elytra a postico usque ad apices linea clara impressa; apud vivum exemplar haec linea latior multoque clarior fuit, quam ob rem coleopteron hoc pulcherrimum habitum praestabat. Caput habet maximum, planum, valde undique leve, nisi in fronte ubi duae exiguae caveae sunt impressae vix conspicuis punctis obtectae; inter antennarum bases, quae aliquod ab oculis absunt, et ipsos oculos utroque latere caveae magnae marginibus acute editis sunt. Antennarum longitudo fere capiti cum thorace par est articulis ad apices crassatis ipsisque apicibus paulum setosis; cuiusque articuli, duobus exceptis prioribus, margines densa tenuique pilositate obtecti id quod summas antennis veluti asperas praebet. Thorace polito undique, solum ad basim raris lenibusque punctis impressis, quae angulos basis densius acriusque asperant; in utroque thoracis latere apud angulos posticos

*) I. Wien. Ent. Ztg. 1889, pag. 53.

caveae haud ita altae impressae, quae partem thoracis tertiam tenent; margines thoracis laterales velut limbo crassati; linea media haud ita alta neque apicem nec posticum attingit. Scutello minimo. Prothorace, mesothorace et metathorace ab inferiore parte non ita dense acute punctatis; eodem modo primo secundoque abdominis segmentis punctatis, posterioribus lenius ac rarius, denique ultimis omnino politis. Elytris vix convexis, paulo obovatis; triplex eorum longitudo duplici prope latitudine par est; in utroque elytro novem punctorum minimorum seriebus velut striis aut canaliculis impressis; in secunda utraque a medio stria magno puncto, in octava serie punctorum ad apicem densiore impressa; interstriis paribus, prima excepta, angustiore praeter ceteras; interstriis leniter, raris et vix conspicuis punctis obtectis. Pedibus proceris; tibiis (mediorum et posticorum pedum) secundum margines exiguis, ad apices acribus spinis armatis; latere tibiarum anticarum exteriori polito, latere interiori in ipso apice una maxima spina armata, apud apicem cavea alta acri spina quoque inserta. Articulorum tarsorum apicibus spinis parvis quoque instructis. Per totum corpus, caput, thoracis margines, abdomen undique raris et longis setis obtectus.

Habitat in Caucaso occidentali.

Unum hujus speciei pulcherrimae, quam in honorem illustrissimi illius viri Edmondi Reitteri nominandam censeo, exemplare ♀ a me in monte Fischt, in altitudine circiter 7000 ad 8000 pedum, VIII. die ante calendas septembrias anni 1888 captum est.

2. *Callidium abdominale* Bon. var. nova **rufipenne** mihi.

Toto corpore, elytris rufis exceptis, nigro-piceo; latior quam verum C. abdominale; femoribus fortiter crassatis totorumque pedum atque antennarum crassitudine maiore gaudet.

Saepe inveniri potest apud Novorossijsk, quae urbs in Caucaso occidentali posita, cum verum *Call. abdominale* numquam ibi inventum est.

3. *Callidium femorale* Mén. var. nova **utschderense** mihi.

Toto corpore testaceo, multo clariore quam verum C. femorale gaudet, thorace rubro-piceo.

Haud ita saepe invenitur in Utsch-Dere (Caucas. occid.), ubi quoque forma vera capta est.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1889

Band/Volume: [8](#)

Autor(en)/Author(s): Starck Alexandro (=Alexander) Eduard von

Artikel/Article: [Coleoptera nova Imperii Rossici. 311-312](#)